



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 1. Magnum discrimen inter mandata Dei & hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

hunc obtestaretur enixè ut cœptum opus
 suum perficeret ac perpoliret. *Manus tua fe-*
cerunt me & plasmarunt me: da mihi intel-
lectum. Hanc excellentissimã arbitror praxin
 divinum implorandi auxilium cum firmissi-
 mã spe ab immensã Dei bonitate impetrandã
 quidquid nobis necessarium petiverimus.

CAPUT IV.

Quartum medium conservandi nostram in
 Deo Fiduciam.

Omnibus Dei mandatis religiosè obedire.

§. I.

Magnum discrimen inter mandata Dei &
hominum,

Nemini dubium esse potest quin inter
 præcepta Dei & hominum, magnum
 discrimen intercedat; homines enim si quid
 imperent rationi dissonum, præcipiendo
 conformare rationi non possunt: si quid præ-
 cipiant difficile & arduum quocunque modo
 urgeant eos, quibus imperant, his vires & in-
 dustriam addere nequeunt ad exequendum,
 aut difficultatem rei præceptæ tollere. At
 cum divina sapientia quæ est regula omnis
 rectitudinis, quam comitatur justitia, Auto-
 ritas & Omnipotentia, suis nos dignatur ho-
 norare

norare mandatis, tamen si speciem aliquam
rigoris ac difficultatis præ se ferant; quando
tamen iis parere conamur, tantam continuo
experimur suavitatem ac facilitatem, ut verè
dicere possimus, plus esse delectationis in o-
bediundo Deo quam in imperando homini-
bus, optandumque esse ut quæcunque illi
placuerint, imperet, quando tam facile est ac
suave cunctis ejus parere mandatis. Homi-
num etiam nemo est tantæ autoritatis in sub-
ditos suos, ut his per illum non liceat iustia
ejus examinare, dummodo quod præcipit
nec limites excedat rectæ rationis, nec vires
obedientis; ab hujusmodi enim præceptis
hominum jus quemque naturæ eximit, cum
necessitas legem non habeat, nec natura suam
patitur violari ab eo qui & ipse in suis man-
datis naturæ subjacet imperio. Solius est Dei
uti supremâ hac atque absolutâ potestate ju-
bendi, quodcunque illi placuerit in omni re,
& imperandi nobis cœcâ obedientiam quæ
excusationem omnem rejiciat. Eius siquidem
mandata regulæ nobis sunt prudentiæ &
subministrant etiam vires ad obtemperan-
dum necessarias. Sicut ergo ad fidem habend-
am rei cuiusque, hoc unum satis est scire à
Deo dictam, ita ad eandem opere complen-
dam, sufficere debet esse à Deo imperatam.

Fides

Fides & Fiducia in Deum una ferè virtus censentur quæ duas habet functiones diversas. credere & facere, sed in utraque æquè potens, unde licet res sibi habeat propositas quæ rationem excedunt, iis tamen fides firmissimū præbet assensum utpote revelatis à Deo qui nec fallere sive mentiri, nec falli potest. Cur non etiam Fiducia impellat ad executionem rerum quantumvis viribus nostris superiorum, quando eas Deus summè sapiens, summeque potens imperavit. *Quodcumque dixit vobis. facite*, monebat prudentissimè Virgo sapiens ministros in nuptiis Canæ, quando iis Christi Domini, iussa quæcunque nullo adhibito examine volebat esse summæ curæ. Joan. 2.

§. II.

Dua veritates necessaria.

Aurea hæc est regula Sapientissimæ Dominae ac Magistræ nostræ ad quam nostram in Deum fiduciam conformare oportet. Sed priusquam eam applicemus, duo necesse est in memoriam revocare principia omnibus indubitata qui vel primis fidei rudimentis tincti & aliquâ divinarum cognitione perfectionum imbuti sunt. Primum est quod sicut sine Dei auxilio non possum nec manum movere,